

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XXV. Canis et Crocodilus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

vento fastuque latius extendit : ac rursum
quaerit, vter speciem p[re]se maiorem ferat.
Respondent, immensum matre sublimiorem
esse bouem. Subirascens denuo dum semet
impetu fortiori inflare studet: rumpitur infe-
lix, atque, fractis inuidia visceribus, humi iacet.

FAB. XXV.

Canis et Crocodilus.

Confilia qui dant praua cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.

Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Crocodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur, cum currens bibere coepisset canis, §
Sic Crocodilus : quamlibet lambe otio,
Accede, pota leniter, et noli dolos,
Inquit, vereri. At ille, facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

Suspecta malorum confilia bonis.

Qui sapientibus atque cautis hominibus pra-
va student impertire confilia : et suam perdunt
operam, ac semet ipsos aliis deridendos pro-
pinant turpiter. Memoriae proditum legimus,
canes, a crocodilis ne rapiantur, ex Nilo flu-
mine currentes, bibere. Cum ergo siti com-
pulsus aliquando canis ipso cursu aquam
degustare coepisset : Crocodilus, in otio et
pace, inquit, lambe quantum satis aquarum;
accede proprius, extingue placide leniterque
sitim : insidiarum prorsus nihil est, quod possis
timere. At, facerem profecto, respondet ca-

B §

nis,



nis, facerem, quod suades: nisi, te carnis meae
percupidum esse , constaret.

FAB. XXVI.

Vulpes et Ciconia.

Nulli nocendum: si quis vero læserit,
Multandum simili iure , fabella admonet.

Vulpes ad coenam dicitur Ciconiam
Prior inuitasse , et illi in patina liquidam
Posuisse forbitionem , quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.

Quae, Vulpem quum reuocasset , intrito cibo,
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inferens,
Satiatur ipsa , at torquet conuiuam fame.

Quae quum lagenae frustra collum lamberet:
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

Par pari relatum.

Nemini prorsus nocere licet , aut laedere
quempiam: sin læserit aliquis , eodem in se-
met iure alium patiatur vti. Idem sequens
annotat fabula. Vulpes dicitur primum ci-
coniam vocasse ad conuiuium , et in patina
iusculum illi apposuisse: quod esuriens et,
propter rostrum forbitioni minus accommoda-
tum , ludibrio habita , nullo modo degustare
potuerit. Breui post vulpem inuitat ciconia:
et, quod intritos continebat omnes cibos, vas
illi apponit oblongum : cui ipsa rostrum qui-
dem facile inferens , ingurgitat quantum satis:
at hospitem, vt par referatur pari, fame torquet
atque ignominia. Cum et frustra lagenae
col-